



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Prima. Societas èo magis à Deo honoratur, quò minùs honorem suum quærit, & omnia refert ad maiorem Dei gloriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA.

*Societas eò magis à Deo honoratur, quò minùs honorem suum
quirit, & omnia refert ad maiorem Dei gloriam.*



Inter cetera Religionum miracula, à summo Numine ad suorum pietatem excitandam atque confirmandam iam inde ab Ecclesiæ incunabulis edi solita, vnum illud vel maximi à se æstimatum, atque à posteris in pretio habendum, vir acris iudicij & multæ lectionis, quiq; ob vitæ merita Summus Pontifex declaratus est Marcellus eius nominis secundus, affirmare non dubitauit; tam breui spatio, quod vix decem & sex annos excedebat, sacram hanc militiam, quam Ignatius à cælo designatus Dux atque Imperator & primus instruxit, & felicissimè gubernauit, potuisse tam longè lateq; per tot maria, totq; Regna ac prouincias, non sine præclarâ nominis sui commendatione propagari. Et verò quem non in admirationem atque stuporem rapiat, intueri minimum aliquem cœtum tam breui temporis curriculo ad vtrasque Indias aciem explicasse, subsidiarias turmas quoquo- uersus emisisse, circumtulisse vbique victricia signa, tot ac tantas de idolis, hæresi, ceterisque vitiorum portentis, victorias reportasse? Vt illud non iniuriâ cum Societate nostrâ communicare posse videar encomium, quod Perfarum olim Reginæ Estheri sacrarum Litterarum monumenta dederunt: *Fons paruus creuit in fluiuium, & in lucem solemq; conuersus est.* Non quòd humanæ industriæ viribus, aut scientiarum adminiculis ea putem accepta referenda: sed quòd munifica illius manus, qui libauit fontes aquarum, & de tenebris fecit splendescere solem atque lunam, ea omnia sponte atque liberaliter in eam concessit: vt in ipsum, tanquam verum auctorem, tanta quanta est operis tam præclari gloria redundaret. Enimuerò volenti altius perscrutari, è quâ tandem scaturigine ingens ille torrens per omnes oras sese effuderit; aut è quâ luce radij illi promanarint, qui non minùs quàm sol terras, sui fulgore mentes hominum perstringunt, & gratissimâ voluptate oblectant; non aliam deprehendere licuit, quàm quòd primum atque solenne eius sacramentum nuncupetur, Principi omnium rerum Deo, atque munificentissimo parenti, seruire non metu suppliciorum, non mercede stipendiorum, non spe præmiorum, non expectatione muneris alicuius, quæ alioquin nobilem indolem ad heroica facta solent erigere, sed propter inflammatum quoddam desiderium eius honorem & gloriam propagandi, ex sincero ac genuino amore profectum, & quia infinita eius dignitas ac maiestas id omni ratione promeretur. est enim illa propria liberalis animi atque ingenui nota, parentem amare, omnique obseruantiam colere, non quòd

*Mirabile
incrementum
Societatis.*

Esther. 10.

*Societas
Deo non
spe nec me-
tu seruit,
sed filialis
amore.*

pœnam minetur, aut opulentam spondeat hereditatem, sed quòd optimi parentis nomen & patria potestas id iure suo exigant. Mercenarius quorundam cultus iure à cœtu verè amantium proscribitur, qui vix præmiorum illecebris in officio continentur, nec vnquam offensi Numinis pœnitundine commouentur, nisi præsentis suppliciorum metu percellantur. Seruilis hoc est ingenij eorum, qui aut de lapide empti sunt, aut non vno stigmate inscripti, sublato timoris freno, in omne genus intemperantiæ, audaciæ atque libidinis effundi, nec quidquam pulchrum aut honestum ducere, quod non mercede aliquâ aut vili lucello comparatur. Longè alia est ratio filiorum Dei, qui patrem amare se profitentur, eiusque Numini propterea solùm obsequi, & sanctissimis eius legibus obtemperare, quia id eius infinitæ dignitati ac maiestati debetur, quia magnificus omnium opifex est, quia quidquid sumus, illius, inquam, & opus, & peculium, operum omnium peculiare præmium: quo fit vicissim vt amabilissimi illius atque suauissimi Parentis amor in eos prouocetur vehementius, inflammetur ardentius, foueatur tenerius. Et quoniam munificentiâ illa infinita nulli vnquam cedere consuevit, sed cunctos superare benefaciendo, suarum etiam partium esse ducit, hanc qualemcumque mortalium liberalitatem inusitato cælestium beneficiorum influxu irrigare, sibi que magis obnoxiam reddere. Et sanè adeò altè tum in Constitutionum suarum libris, tum maxime in animis singulorum id infixum atque impressum Ignatius esse voluit, vt pro tessera atque imperatorio signo, quod quisque non segnè quàm aquilam Romanus miles sequeretur, hoc vnum haberent omnes, *Ad maiorem Dei gloriam*. Atque hinc tandem admirabile illud & numquam intermissum certamen, inter Deum veluti parentem amantissimum, & Societatem tamquam dilectam eius filiam, licet contemplari: dum illa nihil laudis sibi deposcit, nullam nominis sui existimationem sibi propositam habet; hic autem nouis eam semper ornamentis cumulat. Et verò quis ignorat, primis legibus huius sacræ militiæ non modò aditum omnem atque viam ad sacras Insulas ceteraque præclara Reipubl. Christianæ munia intercludi; verùm etiam sacramenti religione interpositâ oblatos vtrò honores & honorum insignia (quæ, vt corpus vmbra, virtutes comitari solent) quàm longissimè ab hoc cœtu remoueri? Quod quidem ita sacrosanctum habetur, vt nullius nisi Summi Ecclesiæ Præfulis auctoritatem atque imperium huic voto intercedere voluerit Ignatius. Et quo honoris tandem genere, cum, cuius studium est humiles atque abiectos erigere, hanc tam profundæ demissionis exercitationem existimatis voluisse remunerari? Ecce tibi diuino prorsus inuento, iam inde ab eius exordiis, ad militaris huius cohortis vexillum euocatos Duces Gandiæ, Aquaiuias, Carolos à Lotharingiâ, Marchiones Gouzagas, & sexcenta illustrissimarum familiarum capita; quorum vel sanguinis nobilitati, vel virtutibus, præclarisque facinoribus, & primæ in aulis Regum dignitates, & sacræ Insulæ, Romanæque maiestatis purpura communi orbis suffragio debita censebantur. Altera res, quæ non minus speciali iure Societatem hanc diuino obsequio ac perpetuo cultui mancipatam probet, est publica illa atque ante oculos omnium præ-

Pium inter Deum & Societatem certamen.

Votum Professorum non admittendi honores.

Deus ad Societatem vocat viros illustres.

fixa

fixa foribus inscriptio: Non solum propriarum animarum saluti cum diuinâ gratiâ vacare, sed etiam cum eadem impensè in salutem proximorum incumbere. Quod quid est aliud quàm operam omnem atque industriam vitamque & sanguinem in aliorum subsidiorum Dei causâ deuotere; abiicere se ad mendicabula in compitis, ad mancipia in trremibus, ad nautarum facem in transtris, ad semiuiuâ cadauera in nosocomiis omni ope subleuanda? Genus profectò palæstræ, quod præter molestias, incommoda, morborum contagionem, variasque ærumnas, nihil concedere videtur athleticis. Verùm numquam ita se Societas ad infimam plebem demittere, aut ad seruilia etiam obsequia abiicere potuit, quin altius eam semper diuina Maiestas extulerit. Itaque hæc quæ uilia & contempta videntur, Deo tantæ submissiõni vicem reddente, & opinionem probitatis, & famam scientiæ, & auctoritatem nominis apud præcipuos orbis Christiani Principes ipsi conciliarunt. Mendicato vivebant Olisipone Rodericius & Xauerius, & ad abiectissimi cuiusque pedes nocturnam quietem in nosocomio captabant. sed Rex confestim palatium pro domicilio, cibum regium pro victu obtulit. Cumque in illo pulcherrimo certamine vicisset animi submissio, hoc saltem honoris excutere Simon Rodericius non potuit, vt regio iuuenes piis monitis ac præceptis ad omnem virtutem identidem conformaret. In vrbe Româ, celeberrimo Religionis teatro, puerili institutioni operam nauabat Lainius: at illum Summus Ecclesiæ Præsul Paulus III. sibi Theologum delegit, vt in illo maiestatis plenissimo Tridentino confessu, instar oraculi, grauisimam doctissimamque de Immaculatâ Virginis Conceptione sententiam dicens audiretur. In Germaniâ heterodoxorum se calumniis & maledictis exposuerunt, imò in continuâ iactatione & assiduis vitæ periculis, quasi peripsemata aut catharmata quædam, versati sunt Iaius & Canisius: at religiosissimi Imperatores illos in oculis tulerunt, imò ad Insulas etiam summasque dignitates prouexissent, nisi potiorẽ sibi Ignatij ac Societatis quàm affectus sui rationem habendam duxissent. In Hispaniâ Galliâque, aut tamquam hominum qui quæquiliæ propter CHRISTVM in ergastula catenasque compacti sunt Sodales, aut tamquam nefarij ac perduelles è toto Regno proscripti; sed calumniarum tempestatibus cæcisque mendaciorum nubibus ac procellis paulatim veritatis luce discussis, tanto in pretio Regibus illis fuerunt, vt partim eos in sacros Oratores aulæ suæ, partim etiam in conscientiæ suæ moderatores assumpserint. Quid de Potentissimis Poloniæ Regibus, quid de Serenissimis Bauariæ Ducibus, Transiluanæ Principibus, aliisque Septemuiris per Germaniam? quid de Nobilitate per Italiam non inferiori commemorem? quid de purpuratis Patribus, aliisque per Europam Ecclesiæ Antistitibus? quid denique de potentissimis noui orbis Monarchis? si maiorum nostrorum, huius sæculi, dico, annales euoluerimus, videbimus plerisque omnibus in pretio fuisse Societatem. Quid, quod Summorum Pontificum his centum annis nemo vnus inuentus sit, qui non aut honorificentissimè de Societate senserit, aut eandem paterno fauore affectuque non sit prosecutus. Testis mihi sit instar omnium sanctissimus Pontifex Vrbanus VIII. cum Eminentissimis

*Societatis
exissimatio
apud Pon-
tifices, Reges,
Principes.*

suis nepotibus Francisco atque Antonio Barberinis : qui non verbis, sed singularibus beneficiis oraculum illud aliquando à Gregorio XIV. datum confirmare cupientes, Societatis vtilitatem & gloriam ad totius Ecclesiæ vtilitatem & gloriam pertinere, quem orbi Catholico vniuerso affectum & munificentiam testari poterant, eam omnem in hunc minimum cœtum sæcularibus his festis, stupente & applaudente Româ, profuderunt. Hoc itaque, Pater Beatissime, vosque Eminentissimi Cardinales, dum stabit hæc Societas, quam diuino munere perennaturam speramus; hoc, inquam, palam omnibus profitebitur, se anno sæculari expertam in Sanctissimâ atque Eminentissimâ Maiestate vestrâ IESVM Romæ non solum propitium, iuxta fidem oraculi Parenti nostro Ignatio datam, sed etiam vltra spem votumque liberalem ac munificum. Infinitum hîc fuerit commemorare; sed non æquè gratum omnibus, quæ domicilia tum Romæ, tum in Lusitaniâ, Austriâ, Hispaniâ, Galliâ, Bauariâ Societati liberalitate summorum Principum sint constituta, quæ sapientiæ gymnasia & Academiæ eius instructioni directionique concredita, quàm profusâ liberalitate vitæ subsidia subministrata. Ut nonnemini videri possit illud Isaiæ vaticinium, quod in Ecclesiâ Christianâ gaudemus impletum, ad Societatem suo sensu aliquo pertinere: *Erunt Reges nutritij tui, & Reginae nutrices tuæ. Sugēs lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis. Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Absit verbo inuidia. Sanctè enim gloriarī sibi que congratulari potest Societas, quòd, quemadmodum ipsa in omni actione ac negotio maiorem Dei gloriam velut scopum intuetur, ita Deus maiorem nominis celebritatem & maiora semper decora, licet immerita, ad cumulum beneuolentiæ congerat. Et verò si candidè & sine furo animi mei sensum apud beneuolos auditores licet deponere, cur non videatur æternus Pater in ornandâ Societate potiorem nominis sui, Filii que ter augusti, quàm Societatis ipsius rationem habuisse? Etenim si, teste Chryostomo, præ ceteris belli Ducibus, singulari illâ potestatis prærogatiuâ concessum est Iosue, vt solem in medio cursu sisteret, propterea quòd nomine suo adumbraret augustissimum nomen IESV; quid mirum, si ab eodem sole radius aliquis ad illustrandam hanc Congregationem deriuetur, quæ splendidissimâ nominis illius insignita est nomenclaturâ? Quâ in re nemo, vt spero, mihi iure succenseat. Nimirum homines humano more loquimur, eaque proferimus, quæ ne ab ipso quidem iure herciscundæ hereditatis aliena sunt. Notæ sunt testamenti tabulæ Romani Sempronij, qui filiam heredem iustituens, hæc eam clausulâ constrinxit: Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem nominis mei, id est, quia nomine meo compellatur. Nota similis apud Græcos testatoris voluntas Lyconis Philosophi, litteris apud Agellium consignata: Lyconi fratri præcipua do, quòd nomen is ferat nostrum. Ignoscite, Auditores, & his ludis sæcularibus sustinete modicum quid insipientiæ meæ. Nihil aliis Religiosis Ordinibus detractum volo, quos maioribus etiam encomiis suo tempore exornabo. Nunc igitur hoc affectui meo, & coniecturæ à ratione non abhorrenti indulgege, vt asseram Patrem æternum in ipsâ quoque Societate Filium suum

Isaiæ 49.
& 69.

Hom. 17. in
Ep. ad Hebr.

I. Cum filius,
& Pater, ff.
de Legatis l.

in Noct. Art.

pro-

propter nominis communionem exornare voluisse; ipsamque Societatem, licet immerentem, quia Filij nomine insignitur, & augustissimum IESV nomen toto orbe ad Antipodas vsque circumfert, peculiaribus honoris prerogatiuis cumulare voluisse. Itaque, quod eam Pontifices, Imperatores, Reges, Principes in pretio habeant, hoc magno nomini Ducis sui acceptum refert: cuius amplificandae gloriae dum studet (studebit autem, dum leges ab Ignatio conditas, & Instituti sui scopum intuebitur) nec Pater Filio, nec Filius affectui suo deerit, vt maioribus eam semper gloriae cumulet incrementis.

ORATIO SECUNDA.

Ignatius magnus in minimis.

Magnum Ignatium virtutum illustrium exemplar, argumentum dicendi omnino amplum mihi propositum, si silentio quodam admirationis ac venerationis pleno praeteriero; vehementer ambigo, an minus aliquid sim praestiturus, quam si copiose de illo verba fecero. Materiam hanc sibi vt plurimum sumpserunt Oratorum principes; in hac consumpta est aetatis pæne vnus eloquentia, & tamen infra meritum semper laus omnis sterit: rudis ars visa est, indiferta facundia. A me vero, quem nec ad dicendum satis instruxit natura, nec vsus exercuit, si ad dicendum accessero, quid expectandum est, nisi vt quæ summa in eo sunt, extenuentur dicendo; quæ singularia, communi ratione pronuntiandi reddantur vulgaria; quæ illustria, orationis meæ nebulis inuoluantur? Praefari solent plerique, iam ad dicendum comparati, tenuitatem infantiae suae argumenti magnitudine confirmari, non posse, quantumuis rudes atque infantes, cum ampla sit materia, non esse difertos. Alia ab his ego passus sum: illa me materiae copia, & Parentis nostri gloria mediocritatis admonet meae, ne in summis illis, quæ non satis assequitur styli sublimitas, infantiam meam pro dignitate versari posse confidam. Tandem inopi consilij (silere enim me non patitur eorum auctoritas, quibus nihil fas est negare) hoc mihi mea suggessit desperatio, contra quam fert Oratorum consuetudo, ipso statim orationis exordio nihil me politum ingenio, nihil elaboratum industriâ in medium allaturum, praefari: argumentum fore, non magna, sed minima, studio à ceteris praeteriri solita; ex mensâ aliorum lautissimâ micæ deciduas; post messem aliorum opimam, neglectum pæne spicilegium. Cogitatio, scio, humilis, & ab excelsâ tanti viri virtute aliena: hoc praestabit tamen, vt quam intactam praetero, excellentiae non derogem; & in praconum illustrium numero, symbolum meum conferam, de minimis minimus Oratorum dicturus. Hæc meditati mecum Diuus ipse ob oculos versari visus est, & in negotio quidem leui, sed per vitam omnem sibi familiari, examine scilicet ^{Ignatium} ^{examine} in se moresque suos instituto rationum exactor suarum: opportunè sanè ^{particu-} ^{lari in se} in rem, vt apparet, meam accuratus in minimis obseruator. Quid ^{inquiri.} enim tam religiosæ menti grauius obreperet? Iam inde, cum ex maioribus illis, quæ in militaris vitæ licentiâ occurrere potuissent, criminibus emer-